

in manu liberalis utile est instrumentum, inutile
 e contrario in manu avari, in manu prodigi de-
 nique perniciosum. Quod si cum aqua hæc com-
 parare mavis, est aurum liberalis placidum flumen
 quod omnes recreat, & semper abundat: aurum
 prodigi autem est instar impetuosi torrentis, qui
 jam ex pluviis collectus abundat aqua, sed æstate
 mox exsiccat: at aurum avari est quasi limosa
 palus, quæ cum non fluat, putrescit. Emanuel The-
 saurus *Philosoph. Moralis Lib. VI. Cap. I. p. m. 160.*
 de auro prodigi & avari sequentem in modum
 acute arguteque differit: *Quæ queso martyria
 subit hoc metallum in se & per se innocens? Alius
 id flagellat malleo, & auro adjungit ferrum, quasi
 sibi cognatum. Alius illud in lamina transfert &
 bractæas; alius subjicit illud flammis chemicis, utque
 illud inveniat largius, perdit, habens in animo illud
 multiplicare & augmentare; sed nullum gravius
 supplicium subit, quam in manu prodigi & avari.
 Avarus ex nimio affectu illud sepelit, & sepultum
 adorat: prodigus ex abundantia dissipat, & pro-
 fundit in indignos, adeoque miserum hoc metallum
 libentius sufferret carceres avari. Quapropter
 mundo necessaria erat liberalitas, quæ moderari
 posset nimium affectum, & nimium contemptum hu-
 jus pretiosi doni fortune, moderate donando & re-
 cipiendo, honesto modo illo utendo, aliosque ad gau-
 dium excitando.*

§. VII.

Quanquam boni Scriptores divitias, opes & *Discri-*